

luit intelligi. Sed est orbis in hoc loco stellæ una integra & peracta conuersio, Orbis.  
 A id est ab eodem loco post emensum sphaeræ, per quam mouetur, ambitum in  
 eundem locum regressus. Circus autem est hic linea ambiens sphaeram, ac uel- Circus.  
 uti semitam faciens, per quam lumen utrinque discurret, & inter quam uaganti-  
 um stellarum error legitimus coercetur. Quas ideo ueteres errare dixerunt, quia Stelle erran-  
 & cursu suo feruntur, & contra sphaeræ maximæ, id est ipsius cœli, impetum con- tes.  
 trario motu ad orientem ab occidente uoluuntur. Et omnium quidem par ce-  
 leritas, motus similis, & idem est modus meandi, sed non omnes eodem tempo-  
 re circos suos orbescque conficiunt. Et ideo est celeritas ipsa mirabilis, quia cum  
 sit eadem omnium, nec ulla ex illis aut concitator esse possit, aut segnior, non eo-  
 dem tamen temporis spatio omnes ambitum suum peragunt. Causam uero sub  
 B eadem celeritate disparis spatij, aptius nos sequentia docebunt.

De undecim circulis cœlum ambientibus.

Caput XV.

**H**is de siderum natura & siderea hominum mente narratis, rursus filium pater,  
 ut in deos pius, ut in homines iustus esset, hortatus, præmium rursus adie-  
 cit, ostendens lacteum circulum uirtutibus debitum, et beatorum coetu refertum.  
 Cuius meminit his uerbis: Erat autem is splendidissimo candore inter flamas cir-  
 cus elucens, quem uos (ut à Graecis accepistis) orbem lacteum nuncupatis. Orbis Lacteus cir-  
 hic idem quod circus in lactei appellatione significat. Est autem lacteus unus è circu- culus.  
 lis, qui ambiunt cœlum, & sunt propter eum numero decem, de quibus quæ dicenda  
 sunt proferemus, cum de hoc competens sermo processerit. Solus ex omnibus hic  
 subiectus est oculis, cæteris circulis magis cogitatione quam uisu comprehendendis.  
 C De hoc lacteo multi inter se diuersa senserunt, causasque eius alij fabulosas, natu-  
 rales alij protulerunt. Sed nos fabulosa reticentes, ea tantummodo quæ ad naturam eius  
 uisa sunt pertinere, dicemus. Theophrastus lacteum dixit esse copagem, qua de  
 duobus hemisphaerijs cœli sphaera solidata est. Et ideo ubi oræ utrinque conue-  
 nerant, notabilem claritatem uideri. Diodorus ignem esse densatam concretamque na-  
 turæ in unam curui limitis semitam, discretionem mundanæ fabricæ coacervate con-  
 cretum. Et ideo uisum intuētis admittere, reliquum igne cœlesti lucem suam nimia sub-  
 tilitate diffusam non subiiciēte conspectui. Democritus innumeras stellas, bre-  
 uesque omnes, quæ spisso tractu in unum coactæ, spatijs quæ angustissima interiacēt  
 optis, uicinæ sibi undique, & ideo passim diffusæ lucis aspergine, continuū iuncti  
 luminis corpus ostendunt. Sed Possidonius, cuius definitioni pluriū consensus  
 D accessit, ait lacteum caloris esse siderei infusionem, quæ ideo aduersa zodiaco curui-  
 tas obliquauit, ut quoniam sol nunquam zodiaci excedendo terminos, ex parte feruoris  
 sui partem cœli reliquam deserebat, hic circus à uia solis in obliquum recedens, uni-  
 uersitatem flexu calido temperaret. Quibus autem partibus zodiacum intersecet, supe-  
 rius iam relatū est: Hæc de lacteo. Decem autem alij (ut diximus) circi sunt, quo-  
 rum unus est ipse zodiacus, qui ex his decem solus potuit latitudinem hoc modo,  
 quem referemus, adipisci. Natura cœlestium circulorum incorporalis est linea, quæ  
 ita mente concipitur, ut sola longitudine censeatur, latum habere non possit. Sed in  
 zodiaco latitudinem signorum capacitas exigebat. Quantum igitur spatij lata di-  
 mensio porrectis sideribus occupabat, duabus lineis limitatum est. Et tertia du-  
 cta per medium, ecliptica uocatur, quia cum cursum suum in eadem linea pariter

c ij sol